

Fœdus Dei cum Noe ab aquis diluvii liberato.

Léctio libri Génesis

9, 8-15

- ⁸ Hæc dixit Deus ad Noe et ad filios eius cum eo:
⁹ «Ecce ego státuam pactum meum vobíscum
et cum sémine vestro post vos
¹⁰ et ad omnem ánimam vivéntem, quæ est vobíscum
tam in volúcribus quam in iuméntis
et in ómnibus béstiis terræ, quæ sunt vobíscum,
cunctis, quæ egréssa sunt de arca,
univérsis béstiis terræ.
¹¹ Státuam pactum meum vobíscum;
et nequáquam ultra interficiétur omnis caro
aquis dilúvii,
neque erit deinceps dilúvium díssipans terram».
- ¹² Dixítque Deus:
«Hoc signum fœderis,
quod do inter me et vos
et ad omnem ánimam vivéntem, quæ est vobíscum,
in generatiónes sempitérnas:
¹³ arcum meum ponam in núbibus,
et erit signum fœderis inter me et inter terram.
¹⁴ Cumque obdúxero núbibus cælum,
apparébit arcus meus in núbibus,
¹⁵ et recordábor fœderis mei vobíscum
et cum omni ánima vivénte, quæ carnem végetat;
et non erunt ultra aquæ dilúvii
ad deléndum univérsam carnem».

Verbum Dómini.